Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Liber Apocalypsim: prologus

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

sydera errantia quibus procella tenebrarum con-
servata est in eternum. Prophetavit autem de his
septimus ab adam enoch dicens. Ecce ve-
nit dominus in sanctis milibus suis facere iudicium
contra omnes et arguere omnes impios de
omnibus operibus impietatis eorum quibus im-
pie egerunt et de omnibus duris que locuti sunt
contra eum peccatores impii. Hii sunt murmurato-
res querulosi secundum desideria sua ambulantes
et os illorum loquitur superbiam mirantes per-
sonas questus causa. Vos autem karissimi memo-
res estote verborum que predicta sunt ab
apostolis domini nostri ihesu christi qui dicebant vobis
quoniam in novissimo tempore venient illusores
secundum desideria sua ambulantes non in impieta-
te. Hii sunt qui segregant semetipsos ani-
males spiritum non habentes. Vos autem karissimi super-
edificantes vosmetipsos sanctissime vestre fidei
in spiritu sancto orantes vosmetipsos in dilectione
dei servate expectantes misericordiam domini nostri
ihesu christi in vitam eternam. Et hos quidem
arguite iudicatos. illos vero salvate de
igne rapientes. Aliis autem miseremini in
timore odientes eam que carnalis est
maculatam tunicam. Ei autem qui potens est
vos conservare sine peccato et constituere ante conspectum
glorie sue immaculatos in exultatione in adven-
tu domini nostri ihesu christi soli deo salvatori nostro
per ihesum christum dominum nostrum gloria et magnificentia im-
perium et potestas ante omnia secula et nunc et
in omnia secula amen. Incipit prologus in apoca-
Iohannes apostolus et evangelista lipsim
a domino christo electus atque dilectus in tanto
amore dilectionis ab eo est habitus ut in
cena super pectus eius recumberet et ad crucem
astanti soli matrem propriam commendasset
ut quem in nuptiis volentem nubere ad apostolatum
virginitatis asciverat ipsi etiam cu-
stodiendam virginem tradidisset. Hic itaque cum

propter verbum dei et testimonium ihesu christi in exilio
in pathmos insulam mitteretur. illic ab
eodem apocalipsis ostensa describitur.
ut sicut in principio canonis id est libri ge-
neseos incorruptibile principium preno-
tatur ita et incorruptibilis finis per virgi-
nem in apocalipsi redderetur dicentis.
ego sum a et ω initium et finis. Hic est
iohannes qui sciens supervenisse diem
egressionis e corpore convocatis in epheso di-
scipulis descendit in defossum sepulture
sue locum. oratione que completa reddidit spiri-
tum a dolore mortis factus extraneus quam a
corruptione carnis noscitur alienus. Cui-
tamen scripture dispositio vel libri ordina-
tio ideo a nobis per singula non exponitur ut
nescientibus inquirendi desiderium collo-
cetur et querentibus laboris fructus et deo
magisterii doctrina servetur. Item Prologus

Apocalipsis iohannis
tot habet sacramenta quot verba.
Parum dictum est et pro merito
voluminis laus omnis inferior est. In
verbis singulis multiplices latent in-
telligentie. Incipit liber Apocalypsim.

Apoca-
lypsis ihesu
christi quam
dedit illi
deus palam
facere servis
suis que
oportet fieri
cito et signi-
ficavit mittens per angelum suum servo
suo iohanni qui testimonium perhibuit ver-
bo dei et testimonium ihesu christi quecumque vidit.
Beatus qui legit et qui audit verba prophe-
tie huius et servant ea que in ea scripta sunt.